

manferit, erit eis utile. Si Mars cum eisdem etiam fuerit, firmum non erit, sed eis nocebit.

Cum Venus fuerit in figuris sibi conuenientibus, & in potestate sua, decernit quod mulier copulabitur uiro æquali. Si autem alijs planetis ipsa magis fuerit orientalis, mulier uiro se iuniori desponsabit, & uir uxorem ducet se minorem. Si autem Venus magis occidentalis fuerit, mulier uiro seniori nubet. Vir autem uxorem sibi seniore[m] desponsabit.

Cum Venus & Saturnus in signis sibi conuenientibus commorantur, ut in Libra, uel in Capricorno, hoc est, ut uterq[ue] sit in dignitatibus alterius, erit coniugium inter consanguineos. Si autem huius prædictæ qualitatis Luna fuerit, hoc est si participet cum Venere & Saturno sic constitutis, & in ascendente, cœli uel medio qualitas ista permanferit, natus cum matre seu nouerca uel matertera coibit. Mulier uero cum prole propria, uel cum sororis filio, seu cum genero Venerem committet. Quod si Sol participet Venere, & Saturno, sic constitutis ut supra Lunam, & Planetas occidentales fuerint, natus filia[m] coniugis incestabit cubilia. Mulier cum patre, uel patruo, seu matris uiro delinquet. At si hæc prædicta qualitas Venere cum Saturno, aut Marte, non fuerit in signis unius generis, sed diuersarum naturarum, hoc est, ut Venus sit in signo alterius naturæ quàm sint signa infortunarum, & econuerso, & si in signis & locis scemininis fuerint, natus plus æquo Venerem concupisset, omnibus etiam modis agere aut pati ipsi nullatenus erit difficile.

Considerabis etiam stellas fixas, maxime autem principia Leonis, & Arietis, Aldebaran, Item & stellam quæ Cauda Leonis dicitur, faciem quoq[ue] Capricorni. Si enim prædictæ stellæ, fuerint in ascendente, uel Medio cœli, cum significatoribus prædictis, Saturno, Marte, & Venere, erit natus in operationibus suis manifestus, & ea in locis in quibus homines conueniunt, reuelabit. Si autem in ultimis angulis fuerint, ut in occidente aut septentrione, erit Eunuchus, uel sterilis. Sed si in his locis scilicet septima uel quarta cum stellis Martijs fuerint, si masculus fuerit, eius uirga cum testiculis ipsi abscindetur. Si fuerit scemella, ualde profunda erunt ei muliebria, sine culo, uel uulua, & desuper erit pellicula, quæ si scindetur rasorio, apparebit iterum anus, uel uulua.

Si Mars à Venere, uel Saturno separatus fuerit, eiq[ue] Iupiter testificetur, natus erit in coitu mitis, & non immundus, nec Venere nisi coactus à natura incumbet. Si autem Mars cum solo Saturno fuerit, à Venere separatus, prolongabitur, & in hoc erit piger, & frigidus. Qui si Venere ac Ioui in figura associetur ex trino uel sextili, leuiter ad ista promouebitur, & maximam inde uoluptatem habebit, seipsum tamen demde arguet, & coercebit, à turpibus etiam & immundis sibi multum cauebit. Si Mars cum sola Venere fuerit, uel cum Ioue solo absq[ue] aspectu Saturni, magnam suæ pri uoluptatem habere cupiet, & delicate uiuere. Sed si alter uespertinalis, alter uero matutinalis fuerit, natus cum uiris & mulieribus coire desiderabit, nec minus in uno quàm in alio sollicitabitur. Et si utriq[ue] fuerint uespertinales, in mulieribus tantum Venereos actus habebit. Quod si signa sceminina fuerint, ipse forsan ad turpes actus supponetur sine mulieribus. Et si uterq[ue] Iupiter & Venus matutinales extiterint, cum masculis solummodo id perpetrabit. Et si signa fuerint masculina, omnibus modis cum masculis agere sollicitabitur. Quod si Venus magis occidentalis fuerit, cum uilibus mulieribus & ancillis Venereos actus exercebit. Si Mars magis occidentalis fuerit, nobiliores se cognoscet mulieres.

Venus si Ioui & Mercurio in figura associetur, natus erit in coeundo mitis, ac mundus. Et si absq[ue] Saturno fuerit Mercurio associata, magnam uoluptatem coeundi habebit, & id ualde facere desiderabit, sed tamen in maiori parte se refrœnabit, & uerebitur, turpesq[ue] actus Venereos postponet. Si cum Marte solo fuerit Ven

nus